



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 An in hac mutatione detur maximus & minimus terminus. Vbi alia etiam
breuiora dubie expenduntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

XXI.

Secundo vero modo intelligi potest hæc actiuitas actuum, nimirum, quod virtus actiua vniuscuiusque actus non sit limitata ad vnum tantum gradum habitus sibi inæqualem: sed possit quantum est de se efficere habitum sibi æqualem in intensiōe; ita tamen vt non valeat effectum sibi adæquatum subito efficere, sed paulatim procedat ab imperfecto ad perfectum. Est autem hoc verisimile, primo quia cum actus sit perfectior quam habitus acquisitus per illum, nulla est ratio ob quam de se non est effectiuus habitus secundum totam suam intensiōem, quandoquidem virtus actiua est proportionata entitati formæ, & crescit per singulos gradus eius. Secundo, quia supposito, quod primus actus non efficiat habitum sibi æqualem in intensiōe, verisimile est secundum actum æqualem augere illum habitum, & vtrunque sit valde probabile ipsa experientia, vt supra ostendi. ergo etiam idem actus perseverans in potētia magis ac magis intendit habitum à se productum in primo instanti. Patet consequentia, quia ille actus perseverans non est minus efficax physice loquendo, quam alius actus sibi æqualis, & ex eo quod aliquid effecerit in primo instanti, non est diminuta eius virtus, quo minus postea etiā possit efficere quādiu est: si subiectum sit capax: ergo etiam idem actus perseverans potest intendere habitum à se productum. Et hoc etiam videtur ostendere experientia, nam ceteris paribus firmiorem habitum aliquis acquirit per diuturnum actum, in quo multo tempore perseveravit, quam per actum breui transuentem: ergo signum est eundem actum esse actiuum, saltem quādo habitus non peruenit ad perfectionem ei æqualem. Atque ita etiam sequitur, actum quantum est ex se virtutem habere, ad efficiendum habitum sibi æqualem, quanquam non possit totam illam efficacitatem simul exercere, sed paulatim propter limitationem & determinationem talis virtutis vt in tertia causa dicebamus. Cui addi potest non deesse aliquam resistantiam ex parte subiecti susceptiui habitus propter indeterminationem & indifferentiam eius, vt supra disputatione 44. asseribamus. Nam si in agente est sufficiens virtus, difficile intellectu est cur determinetur ad illum modum agendi, si ne subiectum resistit villo modo, nec formæ repugnat instantanea productio. Atque ita videtur limitata illa tertia causa & fere coincidit cum secunda solumque erit differentia in modo illius repugnantie vel resistantie ex parte subiecti.

XII.

Habitus continuus successione intendi potest. Equomodo.

Hoc autem principio posito manifeste sequitur intensiōem habitus posse etiam fieri successione continua. Nam si idem habitus perseverans in potentia intendere potest habitum à se productum in principio, necesse est vt successiue & continuè illum intendat idem agens, & æque applicatum: vnde eandem etiam vim & rationem habet ad agendum in toto illo tempore. Et argumenta superius facta de ceteris agentibus, hic etiam locum habent. Et maxime hoc potest confirmari, si idem actus in potentia continuè augeatur vt, fieri posse diximus: nam tunc ratione maioris intensiōis continuè magis etiam ac magis continuè augebit habitum. Denique, hoc etiam videtur maxime necessarium, quando potentia est affecta contratio habitu in gradu incompensibili, nam tunc etiā per habitum resistit intensiōi alterius habitus, & ideo necesse est vt actio non sit instantanea, sed successiua, difficile enim erit differentiam in hoc constituere inter habitus contrarios, & alias qualitates oppositas, quæ erat difficultas superius remissa in hunc locum.

XXIII.

Oppositæ sententiæ fundamenta dirimuntur.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus auctoritates continet, responsum iam est: non enim negant illi Doctores, motū alterationis vel augmentationis posse esse continuum, sed negant semper continuè fieri, id est, sine interruptione aut per totam vitam, aut per diuturnum tempus, quod non prouenit

ex intrinseca natura talis motus, aut termini eius, sed ex multiplici variatione rerum & causarum vniuersi: de qua re latius differunt Philosophi agentes de corporum augmentatione. Ratio illius opinionis soluetur commodius sect. sequenti.

SECTIO IV.

An latitudo intensiua qualitatū habeat definitos terminos intensiōis & remissionis.



Hæc quæstio tractari solet à Philosophis in i. Physicorum, vbi generatim disputant de terminis, maximo & minimo, rerum omnium, quæ augmentum vel decrementum suscipere possunt. Tamen, quoad hanc partem hoc loco visa est necessaria, hæc disputatio, tum propter soluendum fundamentum contrariæ sententiæ propositum in sect. præced. tum etiam, quia licet augmentum extensuum, quod materiam & quantitatem consequitur, & consequenter etiam eius terminum, ad considerationem physicā pertineant, tamen augmentum intensuum ex se abstractit à materia & quantitate, ideoque tam de illo, quam de terminis eius ad Metaphysicum agere per se pertinet.

Quæstionis sensus.

Est autem sensus quæstionis vtrum qualitas habens latitudinem intensiuam, determinet sibi certum aliquem gradum, vel particulam suæ entitatis, quam, vt minimum requirat vt fieri possit, ita vt remissior producti aut conseruari non possit, & hoc est qualitatem terminari ad minimum. Ad maximum vero terminari est, quod detur aliquis terminus illius entitatis, vltra quē non possit eius intensio progredi. Et quamvis distinguere soleant Philosophi duces terminos magnitudinis, & paruitatis, scilicet, intrinsecum, & extrinsecum, quos in paruitate vocant minimum quod sit, & maximum quod non, in magnitudine vero, maximum quod sit, & minimum quod non, in præfenti vero non indigemus illa distinctione, quia, si hæc qualitates habent terminos, certum est illos esse extrinsecos, & non intrinsecos, vt ex dicendis constabit.

Prima sententiā docens dari minimum in intensiōe.

De termino ergo paruitatis multi censent habere qualitates terminari ad minimam. Ita tenet Soncin. 8. Metaphysicor. quæstio. 13. & idem videtur sequi. Iandun. lib. 6. Physic. quæstio. 15. Egid. 1. de generat. quæst. 25. & ibi Toletus q. 7. Est tamen discrimen inter hos auctores, nam Soncinas putat illud minimum esse quod simpliciter indiuisibile in sua entitate, tam quoad partium compositionem, qua caret, quam quoad modum afficiendi subiectum magis vel minus, quia iuxta sententiā explicatam intensiōem in hunc modum, ille gradus minimus ponitur incapax intensiōis, quia in modo afficiendi non recipit variationem, sed indiuisibilitatem habet. Sed hic sensus supponit falsam sententiā supra impugnata, quod tota latitudo intensiua cōponatur ex gradibus indiuisibilibus, & ideo illam omitto. An vero in alio sensu possit hæc entitas indiuisibilis explicari, & ad veritatem reduci, infra dicam. Alio ergo modo intelligitur illa sententiā, nimirum, quod in latitudine intensiua qualitatū nulla possit signari pars, quæ non sit ex partibus composita, & ideo in ipsa totali entitate nulla sit signabilis pars ita parua, quin alia minor signari possit. Nihilominus tamen signari possit aliqua pars tam parua seu tam remissa, vt non possit minor seu remissior conseruari, aut esse quam distans.

diffusa & separata ab aliis partibus, quod aliis verbis dici solet, non dare minimum gradum remissionis inexistens in tota qualitate, dari tamen minimum separatim existens, quia qualitas sub minori intentione fieri aut conservari non potest.

IV. Hæc autem sententia sic exposita suaderi potest. Primo, quia omnis res permanens incipit per primum sui esse: ergo & omnis qualitas intensibilis: ergo determinat sibi certum gradum, in quo ut minimum produci debeat in instanti, & per primum sui esse: nã aliàs si semper produci posset minor & minor, nõ haberet determinatum initium, sed in successio tempore inciperet. Imo vix intelligi potest, quod ignis incipiat introducere calorem in aquam, & quod nõ primo producat aliquã determinatã partẽ caloris, quã sit veluti fundamentum reliquarum. Secundo, quia omnis forma determinat sibi certum ac definitum modum essendi: ergo sicut forma substantialis hac ratione determinat sibi certas dispositiones in definito gradu, & potentia determinatum actum, ita qualitas intensibilis determinat certum modum seu gradum remissionis. Et confirmatur, nam in actibus vitalibus videtur manifestum, non enim potest voluntas amare, aut intellectus attendere, nisi cum aliqua definita intensio. Tandẽ ob hanc causã hæc qualitates terminantur ad maximum: nimirum, quia essentia talis formæ limitata est, & ideo etiam sibi determinat definitum modum essendi: ergo eadem ratio est de termino remissionis, quã est de termino intensiois.

Contraria sententia exponitur.

V. Nihilominus alii sentiunt, has qualitates ex se non terminari ad minimum remissionem, sed quacunque parte signata posse, quantum est ex se, fieri aut conservari minorem & separata ab omni ulteriori intensioe. Ita opinatur Soto in 1. Phyl. q. 4. a. 3. conclus. 5. & Coninibricenses 1. Phyl. c. 4. q. 1. Fauetque huius sententiæ Arist. 6. Phyl. c. 6. tex. 53. & 54. ubi probat in omni motu ex contrariis in contrarium ante quodlibet mutatum esse dari motum, & ante quamlibet partem motus dari aliam minorem, atque ita procedere divisionem in infinitum, ut ad minimum mutationis partem deuehri possit. Quæ doctrina generalis est ad omnem verum motum, & alterationem comprehendit, ut omnes exponunt. Eadem autem ratio est de termino motus, quã de seipso motu præteritum in motu alterationis intensioe, quia spatium diuisibilitatis eius, nõ est aliud quam latitudo intensiva eius: ergo neq; in termino talis mutationis dari potest minimum secundum intensioem. Ratio ne etiam probatur, quia in huiusmodi qualitatibus non datur minimum inexistens secundum intensioem ergo neq; etiam datur minimum per se existens seu separabile ab ulteriori intensioe. Antecedens probatum est, quia latitudo intensiva qualitatis est ad modum continuæ, & ideo est diuisibilis in infinitum: ergo per designationem in tota qualitate non potest signari minima pars in ea existens.

VI. Consequentia variis modis probari potest. Primo ex proportionem ad quantitatem continuã, in qua sicut non datur minimum inexistens, ita neq; per se existens quantum est ex ratione ipsius quantitativa, & idem est (iuxta veriorẽ sententiam) de extensione qualitatis quam habet in superficie, vel quantitate continuã, & sicut in ea non datur minima extensio partis inexistens, ita nec per se separatẽ eadem autẽ proportio esse videtur in gradibus intensiois. Secundo, quia gradus inferior in intensioe, nõ pendet per se à superiori: ut primus à secundo, vel secundus à tertio, sed potius est conuerso superior gradus pendet ab inferiori, quasi materialiter quia illum per se supponit. Hæc autem ratio procedit de quacunque inferiori parte talis gradus respectu ulteriori: ergo quæcunque pars minima designabilis in qualitate intensiva,

Tom. II. Metaphys.

per se nõ pendet à reliqua perfectione tota intensiva quã ei superadditur: ergo per se loquendo potest conservari sine illa: ergo quælibet pars minor & minor, quã potest existere in tota qualitate; posset etiã per se existere. Hæc enim sola est ratio ob quam secundum extensionem quælibet pars lineæ quantumvis minor & minor, quantum est ex se potest per se existere sine aliis, quia ab eis non pendet, & idem est de quocunque calore minimo secundum extensionem: ergo idem est de intensioe. Tertiõ, quia aliàs si forma paulatim remitteretur, & in aliquo instante perveniret ad certam minimam intensioem, & sub minori conservari non posset, talis forma definirer per ultimum sui esse, quia in illo instante esset, & immediate post illud esse, non posset, quia aliàs iam esset minor minimã, nam immediate post illud instans fieret remissior. Alia argumenta fieri solent ad comprobandã hanc sententiam sumpta ex successione motus, & ex actione uniformiter difformi per spherã actiuitatis, quæ non sunt adeo efficacia, & ideo illa omitto.

Posterior sententia præfertur.

VII. Nulla ergo ex his sententiis euidenter demonstrari potest. Considerando autem naturam qualitatũ intensivã, & modum compositionis entitatis eius, quem supra explicuimus, hæc secunda sententia probabilior videtur & aptior ad intelligendum modum alterationis continuæ, quo intensio, vel remissio fit, & modum etiam inceptions ac definitionis harum qualitatum. Solum est aduertendum primo, aliud esse loqui de his qualitatibus secundum se, aliud vero prout sunt proprietates vel dispositiones talium formarum: hoc enim posteriori modo certum est posse terminari ad minimum gradum intensiois, quia non est idem in omnibus formis, sed varius iuxta veritatem formarum: Vnaquæque enim forma substantialis, sicut determinatã habet naturã & perfectionem intensivã, ita determinatã dispositionem postulat tam in specie quam in gradu intensiois, & hoc modo dicimus, posse qualitatem terminari ad minimum, vel intrinsece via generatiois, seu in statu connaturali talis formæ, vel saltẽ extrinsece in statu præternaturali, seu conservatiois ut vocant. Hic autem non consideramus qualitatem, ut dispositionem ad formam substantialem, vel secundum se & secundum suam entitatem, & seclusis extrinsecis impedimentis, vel contrariis agentibus, & sic dicimus qualitatem nõ terminari ad minimum, quia ut qualitas sit in suo statu connaturali & perfecto, habere debet integram intensioem suam, quã potest dici minima, vel potius vnica ad perfectum statum talis qualitatis, quo diminuto incipit qualitas esse in statu imperfecto, in quo proinde nullum habet definitum terminum paritatis, quia semper potest procedere ab imperfecto ad imperfectius, & è conuerso totam latitudinem suã entitatis potest successiue acquirere.

Secundo est considerandum, aliud esse loqui de partibus qualitatis, aliud vero de indiuisibilibus continuatiuis aut terminatiuis eius. Opinor n. in hoc etiam seruari proportionem inter hæc latitudinem intensivã & extensivã, quod sicut in eis dantur partes indiuisibiles in infinitum; ita etiam dantur quædam indiuisibilia continuantia, vel terminantia huiusmodi partes. Est enim eadẽ omnino ratio, neq; aliter potest commode intelligi vera vnio, & continuitas talium partium negetiam continuitas motus qui est intensio talis qualitatis, nam in eo dantur partes, & mutata esse, in quibus aliquid fieri necesse est, quod non potest esse nisi indiuisibile.

Atq; hinc colligo, quod sicut in calore, ut octo datur quoddã indiuisibile caloris continuans septimum gradum cū octauo, & sextum cum septimo, & sic de ceteris omnibus gradibus & partibus diuisibilibus, quæ inter se cõtinuantur, ita etiam datur quoddam

VII.

VIII.

IX.

In formã diuisibilib. indiuisibilia dantur terminantia & cõtinuantia.

Te 2

ulti-

ultimum indiuisibile terminans illam. Item, quia calor vt octo, & sic incipit per primum sui esse, nam incipit in eo instanti, in quo finitur & consumatur motus intensiois, in quo verum est dicere, nunc non est intensio & immediate ante hoc erat, & è cōneis nūc est calor vt octo & immediate ante hoc non erat: ergo in illo instanti aliquid additum est, quod cōsummat & quasi constituit calorē vt octo, quod non potest esse nisi terminus indiuisibilis caloris: nā omnes partes caloris per omnes partes motus toto tempore præcedenti acquisitæ fuerant.

X.

Vnde vltius concludimus, etiam in alio extremo talis latitudinis intensiū dari vltimum seu primum terminum indiuisibilem inchoantē, & ex ea parte terminantē: calorem est n. eadē proportio & ratio. Nam omne continuū finitum clauditur duobus, terminis in quo est differentia inter res successiuas & permanentes, q̄ in re successiua illi termini sunt extrinseci, quia non sunt simul cū toto: at vero in re permanente sunt intrinseci, quia actu permanent cum ipso toto, & illud suo modo cōponunt, vt patet in duob. extremis punctis lineæ, & idem est de quolibet alio cōtinuo permanente. Nec potest afferri vlla ratio, ob quam latitudo intensiua qualitatis habeat indiuisibilia continuantia, & vnum terminum terminantē ex parte vnius extremi, & non habeat aliud ex alia parte: datur ergo vtrinq̄ indiuisibilis terminus huius latitudinis. Cum ergo dicimus, non dari minimum in his qualitibus, intelligēdum est de qualitatibus quoad aliquam partem seu latitudinem diuisibilem, quæ tantum meretur nomen qualitatis, nam hoc indiuisibile potius vocandum est initiū qualitatis. Vnde loquendo de illo, negari non potest, quin detur in qualitate aliquid minimū, etiam inexistens ipsi qualitati nimirū illud indiuisibile, in quo (vt ita dicam) veluti inchoatur, & quasi fundatur tota latitudo intensiua qualitatis. Vt si concipiamus lineam ascēdentem à centro vsq̄ huc, in illa non poterimus designare minimum quid versus centrum, possumus autē designare punctū existens in centro, qui est veluti basis totius lineæ: ad hunc ergo modum concipienda est hæc latitudo intensiua qualitatis. An vero illud primum indiuisibile possit non solū in toto designari, sed etiam interdum pro aliquo tempore, vel instanti esse solū absq̄ aliis partibus qualitatis, dicam statim respondendo ad fundamenta contrariæ sententiæ.

Satisfit fundamentis prioris opinionis & inceptio qualitatum exponitur.

XI.

PRIMA ergo ratio cōtrariæ sententiæ sumpta est ex modo incipiendi talium qualitatum, ad quē vno verbo responderi posset, rem permanentem quantū est ex se incipere per primum sui esse, si nihil aliud obstat, quia vt supra dicebamus, etiam qualitas in ensibilis quantum est ex se, simul tota fit, sicut tota simul est. At vero ex adiunctis conditionibus agentis, aut passi, sicut non repugnat rem permanentem nō fieri simul totam, sed partem post partem, ita etiam nō repugnat incipere per vltimū nō esse, ita vt ante quamlibet partem eius alia minor sit facta, quia tunc non incipit per mutationem indiuisibilem, neq̄ ad definitionem motus successiui, sed ad inchoatū em alterationis, vel intensiois successiua.

XII.

Vt tamen hoc amplius declaremus, distinguamus inter potentiam, intensioem, & propriam productionem totius qualitatis. Quando cūq̄ enim proprie inchoatur sola intensio, supponitur iam qualitas producta & terminata vsq̄ ad certum gradum per intrinsecum terminum indiuisibilem illius gradus eiq̄ incipit superaddi vltior gradus. Tunc ergo factis clarescit, illum gradum qualitatis quiper illam intensioem fit, & præexistenti qualitati additur, etiam si sit res permanens non incipere per primum sui esse, sed per vltimum non esse, quia non incipit in a-

liqua determinata parte qualitatis, sed ante quamlibet sit alia minor, neq̄ etiam incipit secundum aliquid indiuisibile, quia in præexistente qualitate supponebatur vltimus terminus indiuisibilis gradus præexistens, qui terminus non corrumpitur per vltiorem intensioem, quia vt sæpe diximus, per intensioem nihil posituum tollitur à qualitate præexistente in esse remisso. Neq̄ etiam illi proxime additur alius indiuisibilis terminus quia in latitudine cōtinua non dantur duo indiuisibilia immediata. Fit ergo per intensioem, vt illud indiuisibile quod antea erat terminans, incipiat esse continuans, per additionem partium eiusdem qualitatis, inter quas partes nulla datur minima, neq̄ alia quæ simul tota fiat, & ideo facile intelligitur, gradum illum intensiois incipere per vltimum non esse. Sicut etiam in extensione, id est, euident, quando illuminatio, v.g. quæ in hoc instanti attingit intrinsece vsq̄ ad hanc superficiem aeris immediate post hoc vltra progreditur per accessum solis: quidquid enim luminis intelligitur esse in partibus aeris, qui sunt post talem superficiem, incipit esse per vltimum non esse, quia non incipit simul in parte determinata aeris: sed ante quamlibet in minori, & ita continue progressa est actio, sicut sol ipse continue magis ac magis appropinquat: idem ergo est in intensioe, nec in hoc esse videtur vlla difficultas.

At vero quando prima incipit qualitas in subiecto difficultas est, an oporteat tūc aliquid qualitatis simul & indiuisibiliter introduci, quod sit fundamentum totius qualitatis, & in eo qualitas incipiat per primum sui esse: hoc n. necessarii putant auctores contrariæ sententiæ, & ideo ponūt minimum in qualitate. Alii vero absolute negāt illud esse necessarium, etiam in prima inchoatione, & ita facile expediunt argumentū. Iuxta ea vero q̄ diximus, est peculiaris difficultas, quæ datur in qualitate aliquid indiuisibile inchoatū ei, vt diximus: ergo oportet, vt saltem illud in aliquo instanti primo indiuisibiliter fiat: nō videtur autē posse fieri solū quasi seiuincta ab omnib. partibus, quia hæc indiuisibilia non possunt naturaliter ita esse: ergo saltem hæc ratione necessarium est aliquid qualitatis simul fieri, quod erit minimum intensiois in ipsa.

Duobus igitur modis in hoc procedere possumus. Primo, admittendo tempore inchoari introductionem qualitatis per primum sui esse in aliquo indiuisibili, vel solo vel simul cum aliquibus partibus, non propter necessitatē minimi, sed propter alias causas naturales. Secundo defendi facile potest: etiam in prima introductione, qualitates sæpe inchoari per vltimum non esse, vt verumque declarem, suppono has qualitates interdum fieri cum resistentia passi, interdum vero sine illa. Item suppono causam efficiētem earū aliquando agere ex necessitate naturæ, aliquando libere & voluntariē. Quando ergo agens naturaliter agit, & sine resistentia, simul agit, quātū potest vel simpliciter, vel iuxta capacitatem & applicationē passi. Et quia hæc potentia agendi nunquam est ad vnum solum indiuisibile qualitatis, sed vel ad totam illam, vel ad aliquem certum gradum eius, ideo ab huiusmodi agente semper fit simul talis qualitas, vel aliquis gradus seu pars eius, nō quia ipsa terminetur ad minimum, sed quia agens est determinatū ad sic agendū. Vnde in parte propinqua plus agit & minus ac minus in remotioribus, donec perueniat ad terminum sphaeræ suæ actiuitatis. Quod si terminus ille sit intrinsecus, vt est probabile, faciet quidem in illo, seu in vltima superficie sphaeræ suæ actiuitatis minimum qualitatem, quam potest efficere, inde tamē non fit, illud esse minimum ipsius qualitatis secundū se spectatæ: nam ab alio agente voluntario, vel debiliiori poterit illa qualitas remissior fieri. Si autē sphaera actiuitatis terminatur extrinsece, vt alii opinantur, tunc illud agens nihil ager in illo termino, seu superficie vltima: sed citra illam ager in toto illo spatio vni-

XV.

XIII.

XVI.

XIV.

XVII.

tio vniformiter, difformiter, semper: emissus agendo in distantiore partem, posset tamē illa actio tota consistere supra aliquem certum, vel diuisibilem gradum signatum, & ita ex hoc modo agendi nec colligitur dari minimum in his qualitatibus, neque non dari. At vero si agens sit liberum, potest pro sua libertate applicare vim suam ad magis vel minus agendū, & ita licet demus semper facere simul aliquam partē qualitatis, non tamen certam, sed pro suo arbitrio potest facere minorem & minorem: vnde ex hoc modo agendi non colligitur minimum, sed potius oppositum.

XV. Atq; hoc idem dicendum est de actibus nostris vitalibus, quatenus à libertate pendent, & in instantiā in nobis sunt. Verisimilius enim est, non esse in potestate nostra efficere solum aliquem indiuisibilem terminum talis qualitatis. Et probabile etiam est, quod regulariter, atq; humano modo loquendo, semper applicamus potentias ad efficiendos hos actus cum aliqua intentione maiori, quam sit aliqua minima quæ excogitari potest, non quia talis intentio sit simpliciter necessaria ad esse talis qualitatis, sed quia nos non applicamus potentias ad operandum illo mathematico modo, sed physice, & quasi confuse ad operandum perceptibile, vt sic dicam, & ita determinatur ad maiorem intentionem, quam in rigore sit necessaria ad esse actus. Deus autem, vel aliud agēs quod posset distincte discernere inter minimas partes qualitatis, posset talem qualitatem in quolibet minimo gradu efficere, & saltem respectu Dei nō repugnaret vnicui etiam indiuisibile solum fieri.

XVI. At vero quando hæc qualitates producantur cum resistentia passi, vel ab agente limitate virtutis, tunc videtur magis necessaria successio, & inceptio per vltimum non esse. Dicunt vero aliqui, etiam tunc semper introduci prius aliquem gradum seu partē qualitatis in instanti, quia agens vt agit semper: habet proportionem maioris inæ qualitatis ex parte passi, & ideo secundum proportionem excessus aliquid prius simul agit, & postea successiue continuat intentionem. Sed licet hoc demus, non sequitur dari minimum in his qualitatibus, quia etiam in illa proportionē & excessu nō datur minimum, sed potest qualitas esse minor & minor in infinitum, & ita licet demus aliquid semper simul fieri in instanti, tamen respectu diuersorum agentium & diuersarum proportionum potest illud esse minus & minus infinitum. Et præterea ille modus agendi non videtur necessarius, quia aliās, postquam agēs in instanti produxit illam partem qualitatis in passo, multo magis superabit resistentiam eius, quam antea: ergo plures etiam ager in quolibet instanti, quā in illo, quod repugnat successioni. Imo nulla esset sufficiens ratio successioni, quia in eodem instanti in quo ille gradus producitur manet agens cum eadem vel maiori proportionē: ergo statim sine successione vlla poterit perfectiorem effectum producere.

XVII. Quocirca si in eo casu agens prius introducit aliquid in instanti in tale passum, illud non est nisi primum indiuisibile qualitatis introducendæ, quia, ad vincendam resistentiam quoad illud sufficit instantanea mora. Nec videtur inconueniens, illud indiuisibile ita fieri, quia solum est quali in fieri, & in eo statu non permanet nisi per instans, nā immediatē post illi adiungitur aliquid qualitatis, & pro illo momento solum est in actuali emanatione à suo agere. Quod si hoc non placuerit, dicendū est quotiescunq; qualitas incipit cum resistentia passi, incipere successiue & per vltimum non esse, tardius autem, vel velocius, iuxta maiorem, vel minorem proportionem inter actiuitatem & resistentiam. Et tunc etiam illud indiuisibile potest incipere per vltimum non esse, quia non incipit adæquate & per se solum, sed simul cum aliis partibus & ad modum earum: sicut in successione extensiuæ necessario dicendum est.

Tom. II. Metaphys.

Ex his ergo satis factum est, & illi rationi, & omnibus fundamentis relictis in sect. præc. Secunda item ratio cum inductione, quæ ibi fiebat, expedita est, nā intentio qualitatis non est dispositio ad illā, sed quædam eius integritas, & ideo determinata intentio requiritur ad eius consummatam perfectionem, non vero simpliciter ad illius esse.

De termino maximo intentionis.

XIX.

Ex quo etiam facile responderetur ad tertiam rationem, in qua tangitur secunda pars præcipua huius quæstionis, quæ est de termino maximo intentionis. Dicendum est enim qualitates naturalis ordinis determinare sibi certum gradum summæ intentionis ad quam possunt peruenire ex natura rei. Tum quia vnaquæque res determinat sibi certum modum perfectionis intrinsecæ, qualis est intentio. Tum etiam, quia hæc qualitates commensurantur substantialibus formis, quarum sunt proprietates, vel naturalibus agentibus finitis à quibus fieri possunt. Et ideo non est similis ratio de termino paruitatis, tum quia res quæ in suo naturali statu postulat certam integritatem, in præternaturali & imperfecto retinet id quod potest suæ entitatis, quantumuis minimum sit: tum etiam quia agens finitum licet non possit excedere certam perfectionem effectus tamen intra illud terminum potest minorem & minorem effectū producere. Locutus sum autem de qualitatibus naturalibus, quia supernaturales & per se infusæ nō habent definitum terminum sui argumenti propter peculiare rationes, quas latius Theologi considerant. Locutus sum etiam de hac intentione ex natura rei, quia Deus per suam potentiam posset magis ac magis huiusmodi qualitates intendere, cum nulla implicatio contradictionis in hoc esse videatur. Et hæc de qualitatibus dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XLVII.

De Relatione reali in communi.



Ost duo præcedentia genera quantitatis & qualitatis, tractat Aristot. de Ad aliquid in 5. Metaphysicæ. 15. non quia perfectius sit in entitate sua, quam omnia sex vltima prædicamenta, cum Commentator 12. Metaph. com. 19. dicat relationem inter omnia genera esse minimæ entitatis: quod quæ verum sit, ex dicendis constabit. Non ergo perfectionis ordinem, sed ordinem doctrinæ videtur Aristoteles obseruasse, tum quia doctrina ad hoc prædicamentum pertinens, vniuersalius est, tum etiam quia est quodammodo necessaria ad cæterorum prædicamentorum cognitionem, eo quod magna ex parte videntur in relatione consistere. Accedit etiam, quod quam plurimæ relationes ad quantitatem & qualitatem proxime consequuntur. De relatione igitur prius in communi videbimus, an sit, quid sit, & quod duplex, & quas proprietates vel causas habeat: & deinde de præcipuis relationum generibus, earumque fundamentis ac terminis magis in particulari differemus.

SECTIO I.

An relatio sit verum genus entis realis, distinctum à reliquis.

Variæ rationes, quibus tota fere difficultas huius prædicamenti proponitur.



Prima ratio dubitandi esse potest, quia relatio vt relatio, nihil rei ponit in re, quæ referri dicitur: ergo non potest constituitur reale genus entis. Consequentia est euidens, quia reale genus fundatur in

I. Prima.

Tt 3 tur in